457

Amplissime et Nobilissime Dn, ante
14 dies scripsi ad domesticum tuum, Danielem
Baumgartnerum, quia nolui turbare occupatio-
nes tuas: sed quia in hanc rem authoritate tua
mihi opus, nec ignota mihi humanitas tua, ausus
fui ipsissimum adire et appellare. Quo loco sint
res nostrae in Palatinatu, iam pervulgatum est
nimis. Heidelberga quidem et cetera cis Rhe-
num integra nobis sunt, integra et florentissimo
exercitui, cui nuper accesserunt 5000, quos e
Belgio adduxit Comes Nassovius Henricus
Fridericus: sed et sic a sociis spoliantur et hostibus
miseri subditi premuntur: nec in longum stabilire et
perijt nobis Academia: et ut omnia in pristinum
statum reponantur, optare licet, sperare vix
ac ne vix quidem licet. Itaque cogito me in
corpore malis, et alibi privatim potius vivere quam
hic languere, et inter istas turbas non tam
vivere quam animam trahere: et quoniam
apud vos portum hoc quidem tempore, tutissi-
mum esse puto, hoc unicum rogo, impetrationem
mihi reddas, ut in Academia vestra cum
consensu Illustrissimi principis vestri, et Se-
natus Academici, mihi habitare, et privatim
saltem studiosis operam praestare liceat. Pluri-
bus verbis hoc a te non peto, ne de tua voluntate
erga me videar dubitare. Caeterum plurimum
te valere ex animo opto. Ex Heidelberga
7. octobris 620

T. A.
Studiosissimus
et
Observantissimus

Reinhardus Bachovius

Nobiliss.o et Ampliss.o viro
Dn Melchiori Goldasto ab
Haiminsfeld, Illustriss.mo prin-
cipi Schauwenburgico ab Inti-
mis consilijs, Dn et fautori ob-
servando

Birckenburg